

124

RENOVATUS
PLAUSUS,

*Quem
in
VIRI
GENEROSI, PER-MAGNIFICI,
Et Perquam STRENUI,*

DOMINI,
DN. GABRIELIS
à BOEMELN,

*Suspiciendi Dn. Affinis,
CONSULIS*

hactenus meritissimi,

nunc

PRÆ-CONSULIS

A. M DCC VIII. XIII. Calend. April.

solenniter creati,

RENOVATI HONORIBUS,

inter curas varias,

animolætissimo

lubentissime dedit

JOHANNES ERNESTUS SCHRÖDERUS,
R. S. C.

GEDANI,

Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII,



Ustra duo nondum sunt, cùm gratarer Honoris
Augmentum meriti, VIR GENEROSE,
novum.

Quippe sacer membrum Te legerat ordo Senatūs,
Qui verè nostræ diceris urbis amor.

Obtigerant raræ læto dignissima fato
Præmia Virtutis, Spesque, Salusque, Tibi.

Non dicam titulos, patriæ vel laudis honores,
Majorum seriem, non genus, atque domum.

Non dicam dudum tranactæ tempora gratæ
Clara juventutis, quæ sine labe fuit.

Non dicam fausto peragratas omne terras,
Neve peregrini dextera fata soli.

Non dicam lingvas, Italis quæ sæpè locutæ,
Aut Gallis, Anglis, queisque palustre solum.

Non dicam magni consortia prospera Phœbi,
Fœdera Musarum, Castalidumque fidem.

Non dicam celsi consensa cacumina Pindi,
Ac juga, vulgari vix adeunda pede.

Non dicam Latii Gazas, & Græcia rarum
Quicquid, & excellens extera terra fovet.

Virtutem dicam, quæ se contenta triumphat,
Quæ meritò cunctis anteferenda bonis.

Virtutem dicam, quæ Fasces, quæ omnia donat,
Et quæ perpetuis nobilitanda Cedris.

Virtutem dicam, quæ dicit ad astra merentes,
Cultores meritos quæ vetat ipsa mori.

Hæc comitata fuit Te, cùm sine crimine terram
Natalem fugeres, desereresque lares.

Hæc non deseruit cultorem grata fidelem,
Cùm tellus vellet Te peregrina suum.

Illa serenatis radiis memoranda nitebat
Pluribus, eximiis accumulata bonis.

Insignis Pietas dotes supereminet omnes,
Estque potens reliquis addere grande decus.

Multiplici stellans ut gemma renidet in auro,
Eois lymphis eruta, labis inops.
Hanc mage nobilitat nivei candoris imago,
Integritasque, doli nescia, digna cani.
Subsequitur solers prudentia, provida rerum,
Quæ, mentem firmans, damna futura cavet.
Insuper extollit præsens vigor, acreque robur
Pectoris intrepidi, quo generosus ovat.
Excipit hoc animus, fortunæ mobilis omnes
Quem non blanditiæ, vincula nulla movent,
Condecorat vultus ridens, affabilis, æquus,
Quæque feros animos flectere Svada valet.
Obsignat raras rubicunda modestia dotes,
Quæ laudis meritum respuit usque suæ.
Et Meritum dicam, Virtus quo mira renidet,
Quo Patriæ prodes, VIR GENEROSE, tuæ.
Hoc Meritum, toti quod dudum innotuit urbi,
Orbem quod pariter vix latuisse potest.
Sequana Te reducem conspexit munere fungi,
Conservaretur quo pretiosa salus.
Non casûs varii, non longa pericla viarum,
Tardare inceptum tunc potuere tuum.
Neve verebaris discrimina, civibus ipfis
Infractum studium dummodò ferret opem.
Quid verò enumerem meritorum plura trophæa,
Quæ sat testari munia quæque queunt?
Hinc non miramur, quòd Te fortuna tuamque
Virtutem ac meritum grata beare cupit.
Nam lœtâ summos Tibi jam decernit Honores
Fronte, quibus gaudens prospera quæque vovet.
Successor dignus fis proles digna Parentis,
Quem redivivum olim post sua fata facis.
Invidet ipse Theon nequaquam hoc culmen Honoris,
Quod scandis meritis inclutus, arte gravis.
Sit felix hic tantus Honos, sit prosper, & ullis
Turbinibus nunquam commaculatus eat!

Sit

Sit Decus hoc faustum, faustâ quoque sorte perennet,
Dextera quod summi sospitet alma DEI!
Naucleri præstans cauti doctrina fidesque
Cernitur in pelagi fluctibus atque malis.
Et tua rara fides, quam fata tremenda probârunt,
Nunc majus specimen nobiliusque dabit.
Naufragium timuit dudum infaustissima navis,
Et nondum fervens ira piata maris.
Grassantur venti, diversa procella minatur,
Et tutum portum quassa carina cupid.
Numinis auxilio conare capeſſere clavum,
Atque ratem serva, quæ peritura gemit.
Sic nova maturæ succrescet gloria famæ,
Et meriti cumulus grandior amplius erit.
Hæc exorrectam frontem faciemque serenant,
Urbem quæ totam gaudia læta movent.
Lætitiæque meæ major sine crimine sensus,
Dum voti compos jubila grata cano.
Palmarem jam insiste gradum Patris, atque mereri
Perge, auge titulos, nomina, grande decus.
Sparge jubar frontis, mulce dulcedine sensûs,
A te abeat tristis nemo, petita ferat.
Sit Tibi præſidium Numen, solamen, amorque,
Sit fulcrum, merces, gloria, fama, salus.
Gratia larga DEI Te prosperet, atque reservet
Incolumem, veluti plurima vota volunt.
Quò pones calces, spargent Tibi lilia cives,
Digna coronabit laurea molle caput.
Virtutes, Meritum, Titulos, Præconia, præſens
Ætas suspiciet, posteritasque colet.

